



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Galganus C. 3. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

3. Dec. VITÆ SANCTORUM. 759  
amicis vitæ meritis æquiparandus foret.  
Responsum è cælo, Cornelio Mimo æ-  
quandum. Ruborem expressit hoc THEO-  
DULO. Adiit tamen virum, & hæc deni-  
que sibi fateri coëgit: mimicam artem à  
primis annis tractasse, nunc cum in-  
mentem ultima illa nec ficta mundi scena  
venisset, serium se & frugi esse, nuperque  
adeò, ut pudori nescio cuius matronæ, u-  
naque decoctoris ejusdem viri, qui à cre-  
ditoribus in vinculis tenebatur, libertati  
consuleret, vestem & supellectilem ven-  
didisse, & corrogatum inde quadringen-  
torum aureorum assen alienæ miseræ  
donasse. Laudavit tam bene clausam à  
Mimo fabulam THEODULUS, & læ-  
tus iterum conscendit columnam suam  
paulò post ex hæc in vicinum cælum  
transcendit. *Ex Menais.*

*Initium omnis peccati & causa totius  
perditionis superbia: propterea quisquis  
est, qui salutem tuam operari studeas, ad-  
versus hanc signum crucis super caput tuum  
habere memento, ut non eleveris in super-  
biam, ut non exaltetur cor tuum. S. Bern.  
serm. 2. de S. Andr.*

S GALGANUS G. 3. Decembris.

**V**oluptatibus primò GALGANUS mi-  
litavit, tum Christo, D. Michaë-  
lis ductu, qui tertio dormientem mo-  
nuit, è veterno ut surgeret, & cum som-  
no

Bbb 4

760 VITÆ SANCTORUM. 3. Dec.  
no vitia excuteret. At ut porro male  
dormiret, mater & amici thalamum ob-  
trudere laborabant virginis formâ & di-  
vitiis inclytâ. Ad hanc cum visum iret,  
equiti suo frenum equus iniecit, contra-  
que omnia calcaria contumax pedem  
proferre medio in itinere negavit, diser-  
te tandem cum asinâ Balaami locutus,  
quò minus progredereetur, ab Angelo se  
prohiberi. Contra tot stimulos calcitra-  
re cum equus non posset, neque homo  
jam voluit; sed damnatis nuptiis, eo ip-  
so in monte (in quo & equi & miraculi  
vestigia hodieque visuntur) castra sua  
novus miles, hoc est cellam posuit, pri-  
mumque trophæum de se, crucem in-  
quam ex ense suo inibi defixit. Pugnatum  
deinde sæpius, & sæpius orcus fugatus.  
Illud plenum periculis prælium fuit,  
cum proditum à venatore (ei vestes suas  
GALGANUS & equum dederat) ino-  
pinantem mater & sponsa oppresserunt.  
Constitit tamen sibi, & tunc etiam vi-  
ctor matrem Deo se dedere, sponsam  
etiam castitati, potentissimis verbis coë-  
git. Exinde cum Romam profectus fuit,  
qui casam Divi exusserunt hostes, ma-  
le omnes perierunt, & id ipsum Pontifi-  
ci, cum fieret, Romæ Galganus narra-  
vit. Redux deinde ad beatam missionem  
illis verbis à Deo vocatus est: *Satis est  
quod laborasti; metes nunc quod seminasti.*  
Quin igitur & tu laboras, nec parca ma-  
nu

4. Dec. VITÆ SANCTORUM. 761  
nu rectè facta seminas? Ibi certè falcein  
suam in alienam messem nemini licebit  
mittere. *Ex Ferrar.*

*Laqueus est mundus, qui voluptatibus  
& opibus, velut escis, objectis, allicit at-  
que capit incautos, & secum trahit in nas-  
sam interitûs. Unde vix possibile videtur,  
ut, qui mundi legibus vivit, immaculatus  
hinc emigret. Hugo Philonius de Scient.  
bene mor.*

S. ANNO EPISC. 4. Decembris.

**A**NONEM à puero pater suis, hoc  
est militaribus, studiis imbuit. Ab-  
hinc avunculo auctore à Marte ad Mu-  
sas honestissimâ defectione transivit.  
Jam Musæ commendarunt Henrico III.  
Imp. qui eum inter Palatinos suos adle-  
ctum mox infulâ Coloniensi donavit.  
Hæc ornatus ad concionem nunquam si-  
ne lacrymis auditus est; quod suis ille  
signum veluti omnium singultibus daret.  
Divitiis cum afflueret, sæpe tamen nec  
obulum ipse, omnia pauperes habebant,  
quos ille velut thesauros suos (& erant)  
secum circumducebat, pater idem ho-  
rum, & mater pupillorum. Ædes xeno-  
dochii unas, monasteriorum condidit  
& amplissimè dotavit quinque, non  
morituras filias. Libertatis Ecclesiasti-  
cæ egregius propugnator infulam nul-  
li, neque adeò, à quo eam acceperat,

Bbb 5

Cæ-